Frid. Zamelii

LUSUS FAMILIARES:

quæ est

Charillidum pars altera.

Typis Bodenhausianis,

ANNO cIↄ Iↄc XXXIV.

In Graculum.

NOn humilem laurum nec inertia serta petebam,
 Cirrha, Tuas rupes ausus adire puer.
Tota propinabat se Castalis unda bibenti:
 Miscebarq; Tuo, diva novena, choro.
Sæpe mihi teneros dictarunt somnia lusus:
 Iuvit & ingenium noxq; soporq; meum.
Numina si nostros animant præsentia versus,
 Et sedet in fibris intus, agitq; Deus;
Cur rapiant blattæ non natum hos carmen in usus,
 Hauriat & nostras flamma profana faces?
Ars habet hæc aliquem, si non corrumpitur, usum.
 Deliciis volui commodus esse meis.
Tu quoq; versiculos nec paucos, Gracule, condis.
 At non est illud, Gracule, quod volumus.

Salve

Salve amice Lector.

ANnus jam integer decurrit, cùm nuptiales lusus edidi, tunc sponsus. A nubentis mihi nomine eò leviter detorto Charillidas inscripseram, rem à moribus nullius seculi alienam me persequi arbitratus. Ad genialem. n. lectum gratulantium voces quotidie perstrepere, quis nescit? Ludunt docti, indocti promiscuè; simpliciùs hi, fescenninis alii. Id cùm in nemine horum Censoria virgula notaverit; nec ego nefas habui, si caneret amores suos, qui calet ipse. Verbis, quæ inter nupta sunt, adeo abstinui, ut nec ubi locum vindicare sibi possent, in carmine satis casto apparuerit. Cæterùm, ut talibus abuterer, neq; vitæ meæ ratio admittebat, & ingenii per se abhorrebat ingenuitas. Inventi tamen sunt, in quîs Graculus etiam famosâ chartâ sed eminus pungens, qui non tam verniliter auctorem impeterent, quàm ipsos lusus malitiosè traducerent. Nihil heic (ne vanis suspicionibus in partem veniant albæ mentes) nihil, inquam stimuli in eos, quos intra splendorem fastigii sui patria suspicit, dignos amore nostro, aut certè odio indignos: quaquà terrarum latratores istos circumspicias, longè infra hoc culmen sunt, rabie solâ excitati: quibus respondere tanti non erat, nisi fucum fecissent etiam melioribus. Coryphæus illorum Graculus Alemanū se semper professus est: nec aliud, quoties ad nos visebat, ex ipso percontantibus liquere potuit: credo, quia veriorem patriam patremq; ignoraret, materno lacte depulso id restabat, Alemanū se esse ex linguâ ut colligeret. Civem adhæc se ajebat Urbis, quam semel adiverat, eò rediturus numquam; quòd nec intra ducentesimum lapidem ejus in finibus habeat, de quo injustum possessorem convenire possit. Hic si, qualis Poeticæ usus, qualisq; in hunc fingendi licentia cultoribus ejus concessa sit, impune non noverit; illud tamen nescire æquum non erat, deterrimos mortalium semper habitos, qui aliis temere maledicerent. Nec, si doctissimorum virorum calculo acquiescere poteram; committendum erat, ut præsidio careret integritas adversus obtrectantium proterviam. Geminam esse Venerem, geminos Cupidines; mollem alterum & vinulum, satis etiam formosum, ut decebat Iovis genus, at non talem qui desideria nostra teneat ultima; cœlo ortum alterum, castissimum, ut qui divinus, saneq; pulcerrimum, nosti Tu in Platonis philosophiâ non hospes Lector; non perinde Graculus, si modò judicio non fallimur. Ab illo Amore ad hunc transire animus erat: ostendere

erat curam rei familiaris recens ingressis, nullius tam abjectum usum functionemq; esse, quin ab eâ fascino Dionæi furoris exsoluta mens nostra excelsiùs se erigere possit, conversa in eũ, ex quo ipsa, à quo omnia. Adde, quòd studia nostra nec juventuti deerant, quæ sanam ingenii culturam amplexa quovis se argumento occupare, in omni copiam & elegantiam affectare disceret. Quæ tamen omnia ὡς ἐν παρόδῳ egimus: alia enim seriò nobis orbita terenda est, quibus oneris sui partem injecit amica patria: quiq; istas horas, quas eidem suffuramur veluti, non tam his ingenii diverticulis, quàm caussæ plurib. probatæ addiximus: excitati ab his, qui rerum; quas Historico stylo aggredi suscepimus, ipsi pars magna fuerunt; altiùsq; exorsis aurâ clementiæ suæ adesse, cursumq; inter vada cæca dirigere possunt. Ab illo, quod dixeram, instituto non parùm me amovit is, in se qui commovit Graculus. Proinde si quid minùs ad hanc amussim nunc leges, ab eâ bile non aliunde esse cogita. Vale Tu, Lector: quòd si vita & à rebus vacatio supererit; faciam, Charillidas meas magnâ accessione non auctiores modò sed & venustiores, hanc vero partem etiam sanctiorem ut habeas. Sin aut incumbens negotium, aut ipsa fata conatum hunc meum irritum esse voluerint; id mibi tamen interea voluptati erit, quòd facem iis, quos aliqua ignobilis otI cura tangit, praluximus. Dab. Elbingæ anno salutif. part. M. DC. XXXIV. Cal. Iul.

Frid. Zamelius.

Ad

Ad Patriam Senatumq; Elbingensem de donato munere nuptiali amplissimo.

PAtria cara, Tui thalamos venerata Poëtæ
(Cur aliud dicar? laus ea sola mea est)
Munere non humili lectum venerata jugalem,
Quo mea non falsus pectora mulcet amor.
Vos etiam Patres, vos mentes alloquor æquas,
Et vos quæ fertis grandia dona manus.
Qualia non patriis tulit alter honoribus auctus:
Qualia non dubii signa favoris amo.
Quid referam? si fortè nihil mea carmina prosunt,
Pars qua tamen nostri grata laboris erit.

Ad Patres Mariæburgenses cùm iidem Scyphum nuptialem obtulissent

URbis corda Patres, quâ cœlum hoc Sponsa Zamell
Nata recèns vidit, quà modò juncta viro est,
Debita pro vestris stat apud me gratia donis:
In quibus est, potior quod mihi caussa probat.
Quamtus hic adfectus! non me mea Cathrula solùm,
Sed Catharæ populus nunc quoq; totus amat.

Ad Catharinam in deductione ejusdem

ÆLvopolitanæ tollunt se mœnia gentis,
Et portas aperit Drusis amica suas.
Iam tectum adspicies nostrum, jam limen adibis,
Cathrula: jam venies sub penetrale domûs.
Ne, dulcis conjux, patrias respexeris ædes.
Heic patriam, heic aras, quò properamus, habes.

De Essedo inter viandum.

ESseda quæ rudium nescit fortuna Quiritum,
Sponsa quibus gaudet seu nova nupta vehi,
Cùm mihi non essent adituro cultiùs urbem,
Vnde venit thalamis pacta puella meis,
Drusidos in populo sex lautis civibus essent;
Tot jussi famulum sollicitare meum.
Quinq; genus nostrum, mea turba, fuêre Borussi,
Britones sextus commemorabat avos.
Caussati fractos axes mihi quinq; negarunt:
Cujus præstò fuit rheda, Britannus erat.
Quæ gentis mala fata meæ rupêre quadrigas;
Dum noxæ currus nil peregrinus habet?
Dic patrius sanguis, generis quid jure requiras;
Si mihi in exiguos rheda negata dies?

Ad Catharinam
domum ductam

ACcipe servorum duros in pectora fasces,
Cathrula, præsidium; quo stat herile decus.
Ne nimiùm laxa, nimiùm ne contrahe servi
Aspera fræna jugi. Res moderata juvat.
Non alia est major corrupti infamia secli,
Quàm famulas leviter nec leve ferre jugum.

Ad eamdem.

EXercet quarto me cura domestica lustro,
Cùm mea tecta suum non habuêre canem.
Miraris conjux? veniet Tibi Turba latrantum,
Quæ de vicinâ sæpe molesta domo est.

Sæpe

Sæpe Lare expelli mecum, Catharina, jubebis.
Sunt, quibus est suboles unica; quinq; canes.

Ad eamdem.

CUm mihi sit custos latrans in limine nullus;
Res quomodo noctu sit mea salva, rogas.
Claudo fores: obdo securæ robora quercûs:
Præ foribus totâ sunt regione canes.
Hactenus invasit manus insidiosa Penates,
Queis vigilum servit longa caterva canum.

Ad eamdem.

UTere deliciis nuptæ Catharina, recentis:
Inq; Tuo jaceat nana catella sinu.
Vos Melitæa juvent absentibus oscula nobis.
Cathrula, res longæ non erit illa moræ.
Cùm Tibi Luna novos novies ostenderit ortus;
Quod cures, aliud maxima Iuno dabit.

Ad eamdem.

EXiguos æris, Catharina, videbis acervos,
Poßidet auriferi nil mea cista Tagi.
Prædia dant parvum mihi vectigalia censum.
Crede mihi, satis hoc usibus esse probis.
Riserunt parcos in me mala pectora sumtus:
Deseruit patrios pars fugitiva Lares.

Ad eamdem.

ESt nota degeneris factum est infame mariti,
Vxori regnum qui dedit omne suæ:
Qui dominæ scit ferre jugum, metuitq; tonantis,
More levis vernæ, debile fulmen heræ.
Rectiùs ingenio vives, mea Cathrula, nostro.
Non bene veraces astruit ille deos.

Ad eamdem.

DEsunt æquales & amicum Druside sanguen:
Et pater & dulcis, Cathrula, mater abest.
Hoc quereris. Non sunt nostrâ procul urbe parentes.
Firma animum: & noster Druside sanguis erit.
Est juxtà matrona favens, est virgo sodalis.
Sunt bona corda domûs è regione meæ.
Nec longè à nobis mediæ fora despicit urbis
Consulis hei quondam digna jacere thoro,
Clara viri meritis & prolis honore recenti,
Commoda mens aliis. Hanc, Catharina, coles.

Magnif. & Nobiliss. Dn. Ioan. Nic. ab Ahausen Hæred. Selg. & Statof. Commiss. R. Gen.

CAthrula nostra domi est: jam venit ab urbe Nogedi,
Nicodama Gothici stella venusta poli.
Sexta dies exin summo radiabat Olympo,
Setino consors cùm Tua venit agro.
Illa Sibyllinas Tecum traducat aristas:
Nupta mihi laterum quassa dolore jacet.
Non, licet alta quies tacitâ sit nocte, quiescit:
Nox oculos dulci nulla sopore linit.
Aut cœlum incuso & contraria sidera nobis:
Aut animum fati spe melioris alo.
Sed mea cœlestes ascendent vota per Orbes:
Flectetur precibus, qui regit astra, meis.
Non est arbitrii, Tua sumere prandia, nostri:
Caussa, quòd emaneo, plena dolore subest.

Dn. Erhardo Schneio Collegæ amiciss.

QVæ modò cor niveum, nostro præluxit honori,
Ardebit famulæ pronuba tæda meæ.

Penè

Penè parata mihi sunt omnia: pisce caremus;
Ille Tuâ numero sub ditione caret.
Scire satis poteris; quid Te, vir amice, rogemus.
Ut mihi sint pisces; hoc Tua jussa dabunt.

In Marrum.

MArre, quid hoc ad Te; Catharæ quòd diximus ignes?
Me meus ussit amor. Quis licuisse neget?
Forsitan hoc ad me; quòd vina tricongius hauris.
Nil ad me; quòd Te non Tuus ussit amor.
Fœda quidem de Te populus. Sed Marre, quid ad me?
Ad Te quid lusus pertinuêre mei?

In Graculum.

ESt, quod Te nostrâ malè pungit, Gracule, caussâ:
Hinc noxam versu dicis inesse meo.
Ingenium laudas: in crimine ponis Amores.
At quales? totum hoc nostra Charillis erat.
Tu Tecum reputa, quæ possum dicere de Te.
Stat nondum versu Te jugulare meo.

In Cellionem.

PAtris habes mores & patris, Cellio, vultum.
Quòd barbam mulces; hoc quoq; patris habes.
Talis erat risus patris, cùm raderet ungues.
Cor quoq; patris habes, dum nimis alta sapis.
A patre vix poteras linguam Tibi sumere. Sumta est
A Bavio. Vestræ pars erat ille domûs.

Ad Catharinam, cùm è nuptiis N. N. domum revertissent.

QVid, mea, sollicitas Medicorum, Cathrula, turbam?
Quid somnum pueris irrequieta fugas?

Parce Tibi, nummisq; meis. Sum corpore sano:
Nec mea, crede mihi, pectora languor habet.
Nil dulces nocuêre cibi, vinumq; meracum:
Quo festum coluit sponsus uterq; diem.
Sacra novis thalamis sed pessima carmina legi.
Noxa caput subiit: est dolor inde meus.
Huc puer, & magni recita mihi pauca Maronis:
Ingenio noceant ne mala texta meo.

In Graculum.

GRacule, qui cantas alienos semper amores,
Quid diri, ut fodices, nostra Charillis habet?
Ipse meos cecini Vates & Sponsus amores:
Lusus erat Staphyle: nostra Charillis erat.
Quæ mihi jura negent aliis concessa Poetis?
Quis neget hoc Vati, res coluisse suas?
Abstinui nuptis inter mea gaudia verbis.
Quæ posti dederis, oscula sola loquor.
Quid Curium obtrudis, quem non sub fornice præstas?
Sed mitto. Lusus, Gracule, mitte meos.

In Tidicium.

SÆpe rogas, Tidici; quas tractet Graculus artes?
Quæ coma, quæ facies; quam colat ille domum?
Tam claris, Tidici, si vellem ludere signis;
Debuit à versu Graculus ire meo.
Hunc etiam exquiris, si fas, quo nomine mutem?
Si fas sit Tidici, si patiâre; Tuo.

Ad Catharinam.

DIvitiis careo: verus sum, Cathrula, Vates.
Non studet hic opibus, qui calet igne meo;

Hoc

Hoc subeunte licet præstemus magna Poetæ;
Cogere non nostræ est conditionis opes.
Dum mihi plus tribuit Patrum inter nomina Censor;
Ecce nocet nobis, hoc meruisse decus.

In Cœliam.

QVàm velles, auris jam dudum tota fuisses,
Exisſetq; meâ pessima fama domo.
Non est, quod credis: non est, quod Cœlia fingas:
Nec mea crudelis gaudia turbat anus.
Iam mihi terra favet: cœlumq; & sidera rident,
Tu livore peris pars quotacumq; Tui.

Ad Catharinam.

VIcinos iterum calamo insectamur hylactas,
Dum grege baubantum limina nostra calent.
Cur ego latratus optarim, Cathrula, plures?
Cur herus insani gutturis esse velim?
Luce canes turbant, ululant & nocte profundâ;
Quorum plus pueris pectoribusq; virûm.

Ad eamdem.

SIt procul à nobis hirti vox dura molossi:
Sit procul à Laribus faux rabiosa meis.
Nos erga satis est, juxtaq; & ponè latrantum.
Augescat sumtu cur fera turba meo?
Sit licet alta quies, nec barbara corda vagentur,
Latratu tectum personat omne canum.

In Agriam.

TEmpora jucundæ producimus, Agria, vitæ:
Esse super Catharan, me superesse vides.
Quid Tibi de Libycis Ammonia Syrtis arenis
Mittit iners vulgus, quod mea fata canat?

Dixi ego, quid tussis, quid vel color arguat in Te.
Vltima penè Tui meta laboris adest.
Nec sic exibis: mortis cùm venerit horror;
Majores quatiet torvą Megæra faces.
Scis Tu, cuî tacito sunt illæ in pectore flammæ,
Vltores scelerum quid sit habere deos.

Ad Catharinam.

ADspicis, angusto caveæ quam limite clúsi,
Quæq́ suum carmen læta fritinnit, avem.
Rebus in angustis, conjux, durare jubemur.
Regnum in fortunam mens habet æqua suam.

Ad eamdem.

QVid mihi cum canibus, venatricisq́ Dianæ
Agmine, si mensis dat nibil illa meis?
Non quæres nostras inter venabula cœnas,
Cathrula: quo vescar, nota macella dabunt.
Tendiculæ patriis valeant & retia fundis:
Nec plaga setosis insidietur apris.
Si fraus absuerit, leporum sint lustra catervis;
Per mea securus pascua cervus eat.
At Tu non semper, Mea, delectabêre nostris
Deliciis, nec Te cæsa juvabit ovis.
Nec semper pullus desumtus corte placebit,
Aut Tuus auctumno pinguior anser amor.
Tu quod edas, auro satius Catharina pararim:
Dianæ rabidum plus aluisse gregem est.

In Marrum.

UT nôris, quàm vil peccârit nostra Charillis,
Carmina temporibus da mea, Marre, suis.

Tem-

Tempora sunt, cùm non patitur res seria lusum;
Et Cytheræa Venus nescit habere locum.
Est, quando rigidas excludit Cypria frontes,
Utile terrigenis utile Numen aquis.
Anxius in nostræ flammas inquirere juventæ:
Horruit illicitas nostra juventa faces.
Tæda sub octavum luxit mihi tertia lustrum:
Tristis amaror inest nunc in amore meo.
Respice perpetuum delati culmen honoris:
Præsidium famæ quod mihi majus erit.
Nunc ego Censoris nunc munere Iudicis ornor:
Vix alio fungi me voluêre Patres.
Non Tibi Postumius non sum Cato, Patria, dixi:
In me quid duri nescio moris amas.
Talia vel Bruti legisset carmina conjux:
Sic cum Martiolâ luserit ipse Cato.

Ad Catharinam.

EXsuperat nostro malè nix abscondita mento,
Temporaq; & frontem rara senectus arat.
Tunc ego, cùm patrem cùm Te, Catharina, rogarem,
Vivere si posses conditione meâ;
Hoc simul adjeci: Tu flore juvencula primo es:
Degenerat nostris Punica barba genis.
At Tu: Canities semper mihi culta parentum,
Quàm mihi consortis sit veneranda, docet.
Nec coma tincta parùm validis hoc esset in annis,
Hactenus infesti sis nisi nauta maris.
Hunc animum, hanc mentem, Catharina, tuêre marito.
Quod mihi Tu tribues, hoc decus omne Tuum est.

Ad eamdem.

GAllorum numeros & motus, Cathrula, nescis;
Non agilem scitè docta movere pedem.

Crede mihi, tales pueri neglexìmus artes.
Hoc quod amas, res est moribus apta meis.
Sum Tibi tota domus, quâ nostrum in nomen abîsti:
Quodq; patri genitrix, hoc Catharina mihi es.
Nosti, quo columen duret tibicine nostrûm;
Perdiderit fundi quid sata læta mei.
Abstulit ista dies, sunt hæc sine vindice furum.
In Te stat nostri nunc medicina mali.

Ad eamdem.

QVòd puer in mensâ voces, Catharina, Latinas
Imbibit, & nostro discit ab ore loqui;
Non ignara vides, dominæ non inscia linguæ:
Estq; quòd in puero, meq; parente probes.
Scilicet. O quamtis Schola rauca laboribus instat
Perdere Grammaticis non mala corda libris!
Sunt, quos hæc multos exerçet arena per annos
Vel tria non ausos edere verba foràs.
Erret cùm pueris Oscorum nostra juventus,
Maturo Catulos tempore jussa sequi.

Ad amicos.

SCribere versiculos ferulator dicitur in me;
Vindiciasq; meas poscis, amica manus.
Ingenio cari vos parcite Vatis abuti.
Vt pugnem, tamti non ferulator erit.

In Graculum.

DE Staphyle nostros legisti, Gracule, versus,
Gracule, cùm legeres; visus es esse meus.
Sed legere hos poterat casti Susanna pudoris,
Et Collatino nupta pudore pari.

Oddo licet legat hos, & quisquis iniquior illo,
Cuiq; furor posset major inesse Tuo.
Gracule, cùm formam dederit natura puellis,
Possideat totum nec tamen una decus;
Hoc quod habent omnes, Vatum quod carmina tollant,
Quodq; datum medio sæpe notare foro,
Tum quod habere Gutam tectumq; latensq; ferebas,
Ad Staphylen retuli: quæ mihi dicta fuit.
Hic mihi lusus erat. Tu famam rodere nostram
Ausus es, & de me non bona verba loqui.
Annorum de me rumorem exquire priorum;
Non questa est de me quamlibet uxor anus.
Hinc mihi legitimo conjuncta est fœdere virgo:
Legitimo juncta est altera deinde thoro.
Tot sunt, quot nostris viguêre sub ossibus ignes.
Extinxit quasdam non mea culpa faces.
De Te. Dic tutam quod Tu mihi fassus in aurem es:
Et Guta quo dederit, quo Telesilla modo;
Cur numquam viduo jaceas sine pellice lecto;
Tu cui mutavit tertia Iuno faces?
Dic, Guta fatalem lue quâ celeraverit horam?
Stas nondum ad nostros hostia sacra focos.
Respice Te, viresq; meas: fumantiaq; ursi
Ora time. Invictum carmina robur habent.
Utiliter nullas Podalirius admovet herbas;
Si latus hic ussit, cuî medicina subest.
Hærebit semper, nulloq; abolebitur ævo,
De Te ego si quicquam, Gracule. Parce Tibi.

Ad Catharinam.

PSallit, & argutas intendit avicula voces:
Testaturq; sui de bonitate fabri.
Hoc, Catharina, facit divini nescia cultûs,
Sic homini carmen jussa praire suum.

Nos

Nos tacito pictæ telluris honore monemur.
Nos vocat in laudes quælibet herba Dei.

Ad Rubicellam.

PErpetuis salve votis, Rubicella, Zamell.
Iuro Tibi versus nil nocuisse meos.
Quid Tibi, cùm nudo veneror Te vertice, si fors
Obvia Te tulerit, quòd, Rubicella, taces?
Invideas: nos sorte Tuâ Tibi digna precamur:
Quos penes in pretio est virginitatis honor.

Ad Catharinam.

SErvorum improbitas animos exercet heriles:
Et dominæ imperium cum famulabus habent.
Quicquid Penelope decreverit absq; ministris;
Injunget rapidis jussa ferenda Notis.
Par his incessus, par est cum virgine cultus:
Sic coma, sic pes est: sic sibi virgo placet.
Servitio ut maneant, hoc cum prece munera præstant:
Fitq; manus Numen serva rogantis heræ.
Optavi veteres hoc in genus omne catastas:
Sit pecus ut domini manicipiumq; sui.
Iussisti turbam tectis exire molestam.
Crimen habent omnes: quo doleamus, erit.

In Cellionem.

CEllio me lacerat: me, qui sine crimine lusi:
Cellio, qui populo judice crimen habet.
Cellio, læsa meo non est Tua Fulvia versu.
Pulcra quidem, at rebus non erat apta meis.
Hoc dixi, & caussam non illi, Cellio, turpem.
Quid furis? hoc tacui Cellio: quòd malè olet.

In

In Meraldum.

QVòd dulcem thalami consors Tibi nulla quietem
Rumpit, & in vacuâ est nulla querella domo;
Esse putas vitæ certa argumenta beatæ,
Et tamtùm miseros sorte carere Tuâ.
At cùm vitalem satus ires pupus in auram,
Quod tibi debuerat juris uterq; parens,
Tamtum Te suboli natura impendere jussit,
Tu quoq; cùm posses esse, Meralde, pater.
Est in naturæ non parva calumnia fabrum;
Si nihil accipiunt postuma secla Tui.
Tu res surgentes Tu res expende cadentes;
Quælibet hanc vitam dicet habere nefas.

Spectab. Dn. Frid. Zamelio.

ZAmeli, certè plenus Tu Numine Deli,
Dum Tua continuas carmina sphingas habent.
Davi ego de grege sum, non Oedipus. Ergò resolve
Mista Charillæis nomina carminibus.
Graculus & Bardus, Ferulator & Oddo, Myander,
Ollus ut & Paullus, Cellio, Codrus iners,
Et Guta cum Glaphyrâ, Rubicella vel Agria & Ægle,
Quæ Staphyle in versu, quæ Telesilla Tuo?
Non ego, non alii capiunt hæc Mystica; quamvis
His Tecum simus turba operata sacris.
Impediunt etenim sensum peregrina legentis,
Innocuosq; animos suspicione gravant.
In quâ ne forsan peccetur ab Ordine nostro,
Cedipodionis clavibus heic opus est.
Quas si non mittes, veniam præsentior hospes,
Si rem præsentem sic didicisse queam.

B. Voidius.

C Viro

Viro Rev. Praclariss. Dn. Balth. Voidio.

SI quid mearum adhuc Tibi est Charillidum,
Censu in meorum quot Voidi habeo optumos,
Domum remitte. Est voculæ error unicæ,
Noxam levi psectere cùm purgavero
(Res fœnori est) plus auferes quàm miseras.
Addam fugatum Marte nuper Arctico,
Nunc subditum prælo improbo Phallosthenem.
Sed quid rogas de Graculis, qui Milvios
Alis Anseri infestas aves argenteo?
Ad me quid Ægle nunc maritum non procum?
Quid Glaphyra? quid Rubicella? nec Te hæc attinent.
Securus imbrium veni ruentium
Villosiore pallio vel gausape.
Nugas leges mecum Poëtæ Puppii.

Nob. & Ampl. Dn. Fr. Zamelio.

AN quid Tuarum sit super Charillidum,
Charites vel ipsæ cùm fuissent vix satis?
Tot sunt amici: quos amor Charillidum
Adegit, ut raptas mihi Charillidas
Auferre (quid dicam, rogare?) desinant.
Verùm error iste quid noceret unicus?
Phallosthenem videre certè gestio,
Villosa tamtùm præstolabor gausapa.
Psecadas vel imbrium volo minutulas.
Et sermo tunc de Graculis miscebitur:
Nugasq; tunc, sed cras, legemus Puppii:
Præ Graculis si nosse Milvios queam.

B. Void.

Ad

In Caldium

MIttimus hæc teneris satis intellecta puellis,
Apta levi socco texta humiliq; pede.
Illa cothurnatis sunt convenientia suris,
Cùm canimus Reges & fera bella ducum.
Res Vatum est, Caldi, dare mitia verba puellis:
Et Regum in laudes ire decente metro.

In Assum.

ESse virum patriæ non est satis, Asse, puellæ:
Vt sit congerro de propiore domo:
Alea seu dubio subeat versanda fritillo,
Seu vitreo placeat milite bella geri;
Advolet, & nocti celeres accommodet alas,
Inq; mero ut seræ tempora noctis eant.
Conjugis officium res est mihi major honestæ:
Quâ mihi sæpe dies tota sodale cadit.
Est puer observans studium moresq; parentum:
Est fugere; exemplo ne malè natus agat.
Plus mihi defuncti præstant in morte Magistri.
Me nihil, Asse, juvas, nec Tua tota domus.

Amplis. Viro Dn. Frid. Zamelio.

QVid ferit innocuas pestis mala Graculus aures?
Aut avis hæc ego sum Voidiusne meus?
Crede mihi Tu, quo se Drusis Apolline jactat,
Ingenii Numen nos coluisse Tui:
Nos Tua perpetuo missos in fœdera nexù
Esse Tuos fluxâ non dedicisse fide.

Christ. Reimanus.

Viro Rever. Cl. Dn. Chr. Reimano.

PEctoris integritas nostri nive purior omni est:
Hoc ipso candor quàm nive major inest.

Et quem legisti, versus Te læserit, aut hunc
Qui Tecum æternæ sacra salutis obit?
Sobrius attendes paucis, Reimane, relectis.
Graculus est trigamus: nil habet ille Tui;
Voidiiq; Tui, seu fas est dicere nostri:
Fœdera qui thalami sarta prioris habet.
Contemnit solidas atq; odit Graculus artes,
Et quod seu facitis sive probatis opus.
Scit tabulis testem subscribere: condere ceras,
Neritio quales mittat amica duci.
Qualibus Oenone Pariden se flectere credat:
Quales Pelidæ Deidamia legat.
Novit &, ut crasso perfudit pectora succo,
In quem sub Boreâ spicea mater abit,
Agrestes cantare modos & Phyllidis ignes,
Et numquam-stabilem sæpe novare fidem.
Antè salax illi nunc toto languida nervo
Verpa Palatinas torsit amore lupas.
Hoc queritur conjux huîc nupta recentibus annis:
Invidet & potæ jam Stygis amne Gutæ.
Iucundos memorat, quot adiverit, ille labores:
Quo fallat consors, discit ab ore viri.
Italiam fugit, non ipsum Oenotria tellus:
Eximit Hetruscum nec sua terra nefas.
Quæris adhuc, qualis sit Graculus iste, vel uxor?
Ille pudenda refert: illa pudenda facit.

Ad Cathrulam.

IAm nosti vicos habitatæ Drusidos omnes,
Cathrula; jam portas, quò via quæq; ferat.
Non tamen in villas aut læta suburbia mecum
Expatiata, tenes quò sedeamus agro.

Alcio-

Alcinoi silvas nescis, & vivida tempe,
Ingenium nostri deliciasq; soli.
Vidisses hortos, nostræ telluris honorem,
Vidisses populi luxuriantis opes,
Cùm nondum agrorum faciem mutasset & urbis
Drusida quadratam qui novus agger obit!
Non paucæ Veneres expiravêre sub armis.
Prævaluit picto caussa salutis agro.
Cras erit in fluvii mihi parva liburnica ripâ.
Rus ingens liquidis ingrediemur aquis.

Ad eamdem.

EST satis hoc puero: vicini incedere lembo;
Vicino florem rure referre domum;
Lacte novo vesci; pecorum narrare magistris,
Quot numerârit oves; quas velit esse suas;
Largiri, quæ nec sint moribus apta nec annis:
Cuncta potestatis dum putat esse suæ.
Cathrula, si satis est, nec rerum major acervus;
Crede Tuum, quicquid maximus Orbis habet.
Crede virere Tibi silvas & roscida prata;
Esse Tuos fontes, è quibus unda Tua est.
Communis volucrum resonat concentibus aër.
Quicquid emunt oculis corda superba, Tuum est.
Finibus in nostris adamantis copia duri est.
Servo Tibi tamtas ipse repertor opes.

Ad eamdem.

VEnit in Italiam Charitæi fama Poëtæ.
Roma meos forsan jam legit ipsa libros!
Nubiferas pridem Gothicus Mars transiit Alpes:
Hac mea formidet cur Venus ire viâ?

Vix aliquid tribuent; hoc certè, Cathrula, dicent:
Simpliciter Boreas sed sine fraude calet.

Ad Lectorem.

SI Te, Lector, adhuc notus malè Graculus urit;
Accipe, quâ prostet strix decumana notâ.
Venit ad æquoreos Lygio de rure Borussos:
Crus illi gracile est, pinguis aqualiculus,
Vox humilis: nimios oculi petiêre recessus:
Turgida frons, nasus longior, hirta coma est.
Hæc quamvis rufis obeat cava timpora cirris;
Nigra tamen barba est: ora tacentis hiant.
Ipse virum nuper sese jactarat acutum.
Quis neget? in summo vertice acumen habet.

Ad Cathrulam.

OScinis in cantu varianteq́; chromate linguæ
Condidimus Solem, Cathrula: Vesper adest.
Debemur cœlo pars associanda catervæ,
Mirificis Iovæ quæ canit acta modis.
In spes non dubias Vatum nos carmina mittunt.
Et quotus attendit? quem tenet hora brevis?

Ad filium Gotofredum.

NAte, Caballinei sitias cave pocula fontis:
Ad juga ne Pindi sive Heliconis eas.
Ne Vates inter res perniciosa legaris.
Dictio si pura est, nec lutulenta; sat est.
Ad Logicos ibis me deducente Magistros:
Disces, Cecropidæ quo valuêre duces.
Sobrius hoc disces. Labor est Demosthene dignus.
Naturæ arcanum mente sequeris opus.
Astrorum inquires inter sua nomina motus;
Quid patriæ regio, quid peregrina ferat.

Ad Reges venies, Regumq́ exempla priorum:
Rectiùs & veteri noris ab Orbe Tuum.
Matutina dabis sacrosanctis tempora libris:
Romulei volves jura severa fori.
Non alio uteris, Gotofrede, interprete quàm Te.
Inspice tunc vates. Quod prohibemus, eris.

Ad eumdem.

MItte vias alias, & per compendia patris
Eloquii fontes integrioris adi.
Tullius antiquum ponet Tibi, nate, rigorem:
Et tamen illimi de Cicerone bibes.
His Tibi colludet Romanus Consul in annis:
Qui pòst ore virum se graviore feret.
Omne penu linguæ non est hac corte Latinæ.
Non id dispungo. Res age, nate, Tuas.
Res est, tortivo ne tinxeris oscula vino,
Imbueris donec limpidiore mero.

De Oddone.

ODdo meas postquam lacerare Charillidas ausus
Invidit famæ conjugioq́ meo;
Morphnus erit, dixi. Quærebat Iulia caussam,
Iulia tam rabido non bene juncta viro.
Est niger: à tenebris est, inquam, Iulia nomen.
Nigra coma est, reddit Iulia, nigra cutis.

Ad Catharinam.

TEla Cupidinei penetrant velociter arcûs,
Cathrula: maturè nostra juventa cadet.
Segnis amor Superûm. Sol occidit atq́ resurgit
Plurimus: at superûm non satis hæret amor.
Cathrula, si dignè venerabile Numen amamus;
Magna Deo res est & pia noster amor.

Ad

Ad eamdem.

ACcepit nostrum formosa cucurbita carmen,
Cathrula: & inscriptæ jam coiêre notæ.
Mutavit variè. Viden' ut corrupta legantur
Hæc inarata priùs? Morte levatur amor.
Marte lavatur amos confusa elementa reponunt.
Nec vox, nec dicti mens super ulla mei est.
Talis in antiquis enata cucurbita libris
Exercet genios, terra Batava, Tuos.
Cùm canerent docti vulgo non obvia Vates;
Descripsêre viri, queis caput ex pepone est.

Amor Conjugalis.

NOn rigidi nexus, non vis adamantina tamtùm,
Quamtùm non falsus pectora jungit amor.
Adde, quod in Graccho laudat sincera vetustas,
In sua serpentem fata necasse marem:
Fœmellâ intactâ teneræ parsisse maritæ.
An quid se lecti fœdera majus habent?

In Milcam anum.

Cùm possis mater Tanaquilis, Milca, videri,
Sive Numæ conjux, Tarquinisq; prior;
Et Tua sit facies anibus deformior Hirpis,
Ac labia intactâ pallidiora nive;
Nec Tibi dens superet, mentum quo triste serenes,
Aut possit quamvis mollior offa teri;
Cum teneris tamen incedis comes ægra puellis,
Et misces veluti vana puella jocos.
Iam calathos aptas, cultos jam tendis in hortos,
Ac violæ florem prima revellis humo.
Quid morem adfectas, qui non his convenit annis?
Sic, puto, nugata es, Milca, cadente Remo.

Ad

Ad Theoph. Cordum de Bonfinii Phaleucis amatoriis.

AN qui tot lepidas amationes,
Totq́, Theuphile, basiationes,
Totq́ dente nec acriore factos
Nec nimis labio patente morsus,
Ore usq́ orbiculato & usq́ hiulco,
BonfinI legat elegantioris
Oris atq́ animi politioris
Vatis, non patriæ venustioris
Angustis modò finibus fovendi,
Mundi ob ingenium remotioris
Augusto quoq́, quà patet, theatro,
Quà Venus colitur, legendi, amandi,
Cunctis, quotquot amant, legendi, amandi;
Non amet citò, Cypriasq́ flammas
Imis hauriat ossium medullis?
Vt legi, ut mea flamma me peredit!
Formosam Staphylen meos amores
Complecti arctiùs ipse mî videbar,
Oscula ingerere osculo tenello,
Et blando inq́ rubentibus labellis
Admorsu inq́ reciprocante linguâ
Notam figere, identidem referre,
Et musti imbibere osculi salivam.
Improbos properâ manu phaleucos
Misi, Theuphile, Gallicæ Camœnæ,
Et visa hæc vigilata somniorum.
Dilectæ Staphyles domum petebam.

Puellis.

Forma perit. Vos huîc castæ diffidite mentes.
Virginis in facie floccus inanis inest:
Qualis inest herbis, in quem flos ultimus exit.
Nubite, dum vestri purpurat oris honos.
Sprevit Amata procos nostri pulcerrima cœli.
Perdidit in varis, quo placuisset anus.

Ad Catharinam.

INstaurare thoros horti, Catharina, juberis,
Dum nova vernantes gratia vestit agros.
Pœoniæ hærebit radix immota: seresq;
Florem, cuî Solis nomen imago dedit.
Iam vere exacto folium quia Tulipa mittit;
Perpetuo-florens circùm amaranthus eat.

Petro Barenthonio.

PRima, Barenthoni, redit ad cunabula mundus:
Meq; sibi totum gaudia veris habent.
Nunc plantare juvat, dare nunc retinacula viti:
Cathrulaq; aggestam flore coronat humum.
Tu quò plùs vigeas, dicendi pone magistros.
Laudatæ stimulos otia mentis alunt.

De Staphyle.

AMplexus Staphylen alius dabat oscula obortâ
Nocte, nec invitis reddidit illa labris.
Vt vidi, nostro valedixi iratus amori:
Iamq; face extinctâ nec calor ullus erat.
Flevit. Non potuit satis excusare videnti.
Posset; si dederit, qualia manè solent.

De

De eadem.

ÆGrotat Staphyle: nostrum rogat illa favorem.
Adversus morbum nil medicina valet.
Spes vitæ in veniâ est, læsi quam poscit amoris.
Si dederis, inquit; reddita vita mihi est.
Quid faciam Staphyle? veniam concedimus ultro.
Namq; mihi consors est proba fraude Tuâ.

De eadem.

VIderat ut Staphyle nostros, mea carmina, lusus;
Hæc potuit, dixit, scribere noster amor?
Nec tamen esse meus, donec mihi vita superstes,
Aut non Lethæas ille bibisset aquas?
Flevit in his dictis: flens verba novissima dixit:
Vt vir amet, nostram non amat ille vicem.

Ad eamdem.

TAm justè dubio, Staphyle, valedicit amori,
Quàm rectè vir amat; si ratione vir est.
Vanus amor Tuus est. Malè dividit oscula mecum
Alter, & est animo carus uterq; Tuo.
Non bene tres ineunt salvis ea fœdera rebus.
Vnius est, Staphyle, fida puella viri.

De eâdem.

ME genitam & Catharâ gerulæ cùm vidit in ulnis
Flens Staphyle dixit: debuit esse meus.
Et puerum affata est: poteram Te dicere nostrum:
Fixit & in teneris oscula rara labris.
Dixit & hoc: dum non genitoris sumere possum,
Hæc ille ignarus sumat ab ore Tuo.

De eâdem.

SErta rosis Staphyle mihi formosissima lætis
Misit: & hæc jussa est dicere serva manus:
Si potes, & caussa est, dominam cur spernere possis;
Durus odoriferis non potes esse rosis.
Accepi: & tales hera, dixi, præstat amores,
Flore color qualis cras periturus inest.

Ad eamdem.

ERror amorq; pari deludunt crimine mentes:
Et quòd Te, Staphyle, fovimus; error erat.
Non Tuus; ut niveis premeres mea colla lacertis,
Imprimeresq; labris uda labella meis.
Lex vetat & ratio, ne vanis ignibus urar.
Incœpi, Staphyle, desipuisse. Vale.

De eâdem.

QVæsivit Staphyle, si possem has spernere voces,
Quas inter lacrumas jussa valere daret:
Exuerimne animum, qui non durissimus esset,
Quem sciat humani moris habere satis:
Anne aliis tribuam, quod non speraverit una?
Respondi: sunt, quæ nec Tibi jure negem.

In Paullum.

PAullus amat Glaphyran toties à patre negatam:
Et semper rigidas excubat ante fores.
Spernit & in populum Glaphyran & utrumq; parentem:
Et tamen ingenti victus amore gemit.
Nunc etiam miser arma gerit, ferroq; minatur.
Paulle, furis. Ferro non jugulatur amor.

In Gelliam.

GEllia, miſcentur non iſtis uſibus herbæ:
Nec ferus hic ſtimulos ſuccus amoris habet.
Toxica ſunt rectos animi ſubeuntia ſenſus,
Qualibus exitium triſte bibentis ineſt.
Sic æſtum Alcides deponit in ignibus Oetæ,
Dum perit uxoris ſimplicitate ſuæ.

De Staphyle.

CRediderat Staphyle, flecti me poſſe precando:
Nec parvum lacrumas pondus habere ſuas.
Virus erant, paucisq; notis inarata papyrus.
Quàm periit, ſi quem charta precesq; movent!
Charta redi, dixi: ſed verba hæc nuntia perfer:
Non odi dominam: ſed procus alter amet.

Amoris inconſtantia.

INconſtans amor eſt: & quæ nunc pulcra videntur,
Craſtina lux ſanâ vix ratione probet.
Eſt amor in morbis: illi quò ſæviùs urunt,
Hoc ægro citiùs corpore abire parant.
Vt ſit certus amor, ſit juſto fœdere nexæ.
At Tu tam caſtè, quàm ſapienter ama.

Magnifico & Nobiliſſ. Dn. Ioan. Nic. ab Ahaus. Commiſſ. R.

ECce Tibi nexu ridet Lucina ſoluto,
Candide Nicodama. Filia nata Tibi eſt.
Hæc tenerum calathos & penſa decentia ſexum
Sumſerit: & dignum virgine tractet opus.
Fabrica prima Tua eſt: Tu juſtas collige vires.
Iam Tibi naſcetur, qui petat arma, puer.

Ad eumdem.

TV prior in thalamos dilectæ conjugis isti,
 Nicodama: nupsit post Catharina mihi.
Antè Tuos hilarat felix Lucina Penates:
 Nititur, & fieri Cathrula mater amat.
Ista Tibi proles sit læta: sit altera deinceps:
 Et leve sit Catharæ parturientis onus.

Ad eumdem.

FAvit, Nicodama, primâ Tibi nocte dearum
 Maxima. Tu scrupos, momina, puncta, puta.
Est mea desidies, nixum quòd Cathrula differt;
 Inq; suas numerat Ver geniale moras.
Interea prolis subeat vos cura secundæ,
 Reddere dum gaudet me Catharina patrem.
Carpite jucundos & vos & pignora Soles:
 Participetq; pius gaudia vestra Socer.
Salve sancte senex venerandi Svada Dynastæ,
 Tuq; aviæ nomen cui nova pupa dedit.

Aumaro Castio Theol. ἀλιευτικὰ mittens.

COnjugis & nostro salvebis nomine, Casti.
 Salva domus superûm nostra favore deûm est.
Aspiret justis utriusq; laboribus æther:
 Mensq; sit in seros intemerata dies.
Fert pondus mea dulce mihi. Da candida Mystes
 Pro me vota Deo. Iam mea ponet onus.
Sit bona quæ nostras veniet Lucina sub ædes:
 Det faciles nixus turba secuta deam.
Hæc mihi sic constent: nec sint hæc sola Zamell
 Gaudia: sit thalami sors quoq; læta Tui.
Cæruleis mitto stillantia carmina lymfis,
 Quale Tibi munus, qui mera vina probas?

Si

Si tamen utilitas aliqua est & simplicis undæ;
Non aliquid nostras esse negabis aquas.

Valentino Misconi.

MIsco, Cupidineas potuisti spernere flammas
Hactenus; inq; Tuo est pectore nullus amor?
Credo. Puta mecum non vanâ sorte profectum:
Et magnum nostras Numen habere faces.
Sat mea nubilium sat patria Drusis habebat:
Sed nulla est thalamis inde petita meis.
Vicinam accessi divinæ Virginis urbem,
Cùm coleret templis concio sacra Deum.
Vidi illuc plures cum matribus ire puellas:
Sed nulla est thalamis inde petita meis.
Quæsivi, num quæ cœtu non esset in illo:
Et, ruri, dictum est, una parentis abest.
Rus petii: ac fixi non comtâ in virgine vultum;
Et visa est oculis tota placere meis.
Signaq; Thariadæ famuli cognata secutus,
Ah, dixi, virgo Tu mihi sola places.
Et placeam, vellem: risitq; nec ægra recepit
Oscula, quæ nostri pignus amoris erant.
Mente tamen castâ votum rejecit ad illos,
Queis voti arbitrium fas pietasq; dedit.
Vos nunc sollicito, dixi, materq; paterq;:
Assensa est votis mater & ipse pater.
Cùm visum fuerit naturæ, Misco, parenti;
Expedient tædas resq; locusq; Tuas.

De Silviâ puellâ.

SIlviæ oscula & igneos ocellos,
Nariumq; decus, genasq; utrinq;

Pur-

Purpurante rosâ venustiores,
Cumq; vertice luculentæ honorem
Frontis, ac tenero quod extat usquam
Corpore (omnia ut affabre expolita)
Non proci modò mille amant probantq;;
Virgines quoq; mille amant probantq;:
Et suum fieri omne id omnis optat.
At nihil referent iniqua vota:
Nec teres facies, decensq; corpus
Conditum sibi conditumve vobis,
Invidæ vel amore in hoc puellæ.
Vnius dabitur tot hæc procorum
Præda casibus: uniusq; fiet.
At Tibi placeant modestiora:
Nec preces juvenum superba temnas,
Perditâ dolitura virgo formâ.

In Gilvam anum.

NOn mirum est aptè Te, Gilva, coloribus uti.
Pictor hic est, Rhetor vir Tuus alter erat.

De Staphyle.

UT didicit Staphyle, quibus illi exarsimus, iras,
Et quæ mista mero verba furore dabam;
Ducere si non vult, stat nec mihi nubere cuiquam,
Dixit, & in thalamos ullius ire viri.
Vt decreta tamen stare hæc non irrita vidit;
Ergo, inquit, duram me vetat esse procis.

Lectori.

VOta juventutis studiumq; imitamur & iras,
Cautiùs ut versu discat amare meo.

Spon-

Sponte suâ & nullo Venerem doctore sequuntur,
Et dominæ subeunt mollia corda jugum.
Qui doceat lacrumas contemnere flentis amicæ,
Qui doceat placitis abstinuisse malis,
Rara avis in nostris est, lector amice, Poëtis,
Si quis erat, multo judice durus erat.
Aptiùs ut nocuas depellant carmina flammas,
Materies lusûs ipse Poëta sui est.

Ad Cath.

QVicquid inest nostris hodie venale macellis,
Sollicitè quereris, Cathrula, pluris emi.
Non nimio pisces, aliquanto est bubula pluris.
Ære licet multo, quod plaga tensa dedit.
Ne tot in unius caderent animalia cœnam;
Has Deus à sumtu jussit habere modum.

Ad eamdem.

CAthrula, pistrices & anilem neglige Mormô
Dicere servarum nocte ruente gregi:
Ne puer audierit. Cùm corda labascere somno
Videris; heroas fare referq; Patres:
Quales divini clarant per secula fasti:
In pia facta puer quò citò missus eat.

Ad fil. Gotofr.

ESse Deum, rutili qui temperet ætheris axem,
Et solum hunc, fili, sit Tibi prima fides:
Pars hominum sequitur mentitos Numina Grajos.
Multum erat his pecoris, plus habuêre deûm;
Tres colit ille deos: hic duplex Numen adorat:
Et quos non testes hæresiarcha crepat!

Nititur infando divinæ vocis abusu,
Dum trahit Argolicas in sua puncta notas.
Mittimur in nugas non semper inane loquentis:
Quò sacer è nostro pectore torpor eat:
Quò stet ad hanc palmam, quam perdit inertia secli,
Artibus ingenuis, quod meruêre, decus.
Nil Gotofrede, dabunt Academica vestis, & aurum;
Si Tibi sudores nil peperêre Tui.
Hoc porrò disces; triplicis sub imagine formæ
Se triplici Numen nomine velle coli.
Nil simile à nobis aut nostris exige rebus.
Mens est, quæ spatium nescit inire sui.

Ad Catharinam.

ID curant hodie matres, Catharina, futuræ;
Vt telâ niteat splendidiore thorus:
Attalico ut jaceat succincta puerpera cultu:
Mentoris ut stratum molle coronet opus:
Vt variantis acûs trahat à discrimine byssus,
Quod pueri in cunis pectora vana probent.
Dum mihi fers uterum nomen sumtura parentis,
Cathrula; adire Deum supplice mente, Tuum est:
Vt stirps nostra polo se noverit esse profectam;
Ad cœli referat, quod geret, omne fabrum.

Ad eamdem.

PArca sub annosâ struimus convivia quercu.
Prandia majorum respice; luxus erit.
Cathrula, Persarum rident hæc secula mensas:
Vicit luxuries posteritatis avos.
Excepisse deos fertur moderata vetustas.
Si modò mens casta est; nunc quoq; Numen adest.

Ad

Ad eamdem.

PAlladis in numero requies, Catharina, laborum est:
Septima lux operum nescia, sacra Deo est.
Sex Soles nostros orti clauduntur in usus:
Solvuntur rarâ publica sacra die.
Quàm segnes animi veniunt sub templa Tonantis!
Quàm vani sensus! quot sine mente preces!
Heic ego non cinctum, non improbo balsama. Turpe est
Velle placere suæ, velle placere suo.
Hoc juvenum. Turpe est reputare senilia corda,
Quo censu res sint, quo gravis arca lucro.
Effuge sacrilegas inter pia munia curas.
Non aliud crimen pectora majus habent.

Ad eamdem.

MUsca genas fodicat: mus nostra cibaria rodit;
Ambit fur nostras insidiosus opes.
In nostras animas quot eunt, mea Cathrula, turmæ!
Instat eas Erebi perdere tota domus.

Ad eamdem.

SÆva fores nostras insano dextera pulsu
Concutit. Id graviùs ne, mea vita, feras.
Tam tetrico strepitu mortis, Catharina, monemur:
Quæ serò veniat, seu citò; certa venit.
Tu prior in tumulum referas senis ossa mariti,
Numquam non fatum docta timere Tuum.

De Mergâ.

OScula Merga dedit: Larginus reddidit aurum.
Sic nimiùm miseri est Merga potita bonis.

Nunc

Nunc amat illa Tulin. Tulis illi verba reponit
Omnia donanti. Quis neget esse deos?

Amor cœcus.

VOs tristes utinam fugerent, bona pectora, flammæ,
Nosset & ingenium cæca juventa Tuum,
O furialis amor! Quid. n. nisi noxia tela,
Mittis? in exemplo est perditus Hippomenes,
Funestusq; Paris. Quàm sunt felicia corda,
Riserunt memores qui sua damna senes!

Oculi fallaces.

QVàm vanis ducibus perit inconsulta juventus!
Quicquid amant oculi, jam satis illa probat.
Sive animo lateat vitium, seu veste tegatur,
Inquiri facies insidiosa negat.
Dicere cùm poterant: species non sufficit oris;
Apparet cautis, quot mala celet amor!

Puellarum ingenium.

1 *INcestos Myrrhæ referebam nuper amores,*
Corticeq; ut rigido texerit ora deus.
3 *Dixi, quos Thisbe quos Pyramus hauserint æstus,*
Veriùs in fatis pectora juncta suis.
2 *Vana puellares accendit fabula mentes:*
Pluraq; de Paphiis ignibus orsa rogant.
Phyllida quàm nimius pueri consumserit ardor,
Dum Pandioniâ nectit in urbe moras.
His addo miseros ignes Ceycis & undas,
Et casum Alcyones, æquoreasq; domos.
Fatum omne ingemino quovis miserabile casu.
Formosæ lacrumis immaduêre genæ.

Non

Non tulimus. Memoro ranarum protenus ortum,
Utq; pigros habitet rustica turba lacus.
Riserunt omnes. Cor habet tractabile virgo,
Diximus; ingenio flectitur illa viri.

Ad Cathar.

NOn Rubicella meo vanum est in carmine nomen.
Materies lusûs, Cathrula, vera mei est.
Laudaram faciem, quò possem nosse puellæ
Ingenium. Flammas credidit esse meas.
Iactabat nostri spretos sibi Vatis amores:
Iactabat pleno gutture mater anus.
A decimâ sextam numerabat ineptula messem.
Rusticitas matris, Cathrula, major erat.
Quamtum est, è stultâ cognoscere matre puellam,
Et sexum tenui discere laude Tuum!

Virgo ornata.

COlligit è variis ornata puella tabernis,
Quo satius niteat, cùm fora lata petit.
Deme illi, Oceano quas eruit India gemmas,
Quod mittunt Seres, quod dat odorus Arabs.
Non faciant illi textorum stamina byssum:
Non variet doctâ pallia sartor acu.
Turgida delumbes non cingant syrmata pygas,
Nec molli soleâ vinciat illa pedem.
Deniq;, quo placuit tamtum, deponat amictum:
Inspicias; poterit flore placere suo.
Lumine lustraris avido licet omnia; dices:
Majus habet sumtâ veste puella decus.

Ad filium Gotofr.

INcideris olim nostris si, nate, libellis:
Legeris & si quid Musa Venusq; dedit;

Esse meros lusus dilecti crede parentis:
Qualibus exacta est nubila sæpe dies.
Qualibus Aonii fallunt sua tempora Vates:
Qualibus hæc fingunt, quæ placuêre, geri.
Forsitan his inerunt, quæ non ego vera negarim.
Non exors vitii nostra juventa fuit.
Flagitium exosus nostros tamen inter amores,
Illicitas fugi patre monente faces.
Ut sanctè exuerem contractam pectore noxam,
Est elata mihi tota paterna domus.
Natorum primus reliquorum lumina pressi.
Tot fuimus, Musas quot mea turba colit.
Numinis hæc in me bonitas: qui, nate, docerem
Te quoq; quam vester sit male-sanus amor.
Carmina ne spernas: si videris improba, dices:
Sunt ea, quæ virus dixit habere pater.
Cùm monitu incertos nostro vitaveris ignes,
Servatum patris Te pietate feres.
Ne temere ducas uxorem: respice mores.
Cætera quæ fuerint, hæc leviora puta.
Parce meas matrisq; Tuæ turbare favillas;
Et prohibe, violet ne peregrina manus.
Sic Tibi conjugium felix sit tempore longo,
Et cineres conjux misceat una Tuos.

Ad Cath.

INvidiæ stimuli quid præstent, Cathrula, noris:
Invidiæ crevit munere noster honos.
Nescio quid nobis genitali rure negavit,
Sumere ab immenso quod tamen Orbe dedit.
Sint aliis quaquà fœcunda novalia, silvæ:
Et pecus ad noti pocula fontis agant.

Igno-

Ignorem, patriam qui stringat terminus oram
(Ignoro culpâ nil, Catharina, meâ)
Me per Hyperboreos mittunt mea carmina saltus:
Me legit ad ripas Santo Ligurq; suas.
Nostra Caledonium mundi venêre sub axem
Texta, nec extremos Seras adire timent.
Dulce bonum invidia est, nec inanes flagrat in usus.
Scandimus ætherias hac faciente domos.

Ad eamdem.

ALma viret tellus; nostris rosa vernat in hortis:
Iamq; suas arbor fœta colorat opes.
Advenient istos condentia tempora Soles,
Cùm nix florentes vestiet alta thoros.
Et nobis instant hiemes, Catharina, rigentes:
Næ Tibi. Me primæ corripuêre nives.

Ad eamdem.

ECce Tibi nostro demessum pollice florem:
Purpura cuî fulgens, Cathrula, nullus odor.
Consertis me digna Tuis debere fatebar.
Tu quoq; cùm dederas, poscere visa mihi es.
Te propter thalamos horti lustravimus omnes.
Inventus folio rarior: ille datur.
Adspice tam stupidi formosum floris honorem.
Divina est species, sed quasi mente carens.
Et nostro in genere est, Regum quod sceptra deceret,
Si mereat facies & sine mente color.

Ad fil. Gotofr.

CRedere Teutonicis noli, Gotofrede, Poëtis;
Si Vates hic est, quem mera pota juvant;

Qui

Qui Phœbum in vino, Musas in nectare ponit,
Castaliam lentâ vite coërcet aquam,
Per silvas fertur bacchantum more quietas,
Et castum insano pectore versat opus.
Tu cole divinas sincerâ mente puellas:
Tu cum Tithoni conjuge surge, puer.
Quos Tibi commendo, Latiales respice Vates.
Ennius arte rudis, non Maro, potor erat;
Pocula nec Flaccus nec amator Naso probabat:
Quiq; fuêre pares, abstinuêre mero.

Ad Gosinum Malluccium de Marro.

MArrus, quem capitis nives verendum
Fecerunt humili, Gosine, plebi,
Idem (ceu perhibent amiciores,
Qui nobis aliquid videntur esse)
Patronus gravior Catone prisco,
Crasso commodior patronus, alpha
Turbæ causidicæ, vorago legum,
Jurisq; esuries Decemviralis
In pupæ thalamos recentis ivit,
Cuî Sol undecimum laborat annum.
Miratur populus, Gosine? Tuq;?
Nullum crimen habet, Gosine, Marrus.
Non illi Proculeiana cordi
Vmquam secta fuit: putare messes;
Queis deducta domum viri ad Penates
Solvat virgineam puella zonam,
Omni tempore fas negavit esse:
Viso corpore quid licere possit,
Affirmans oculis liquere sanis.
Inspexit, puto, Cassium secutus.

In

In Ursulam.

Filia nasutæ nasutior Ursula matris,
Quis Tibi Te faciem dixit habere deæ?
Iactari sermone Tuo jam compita narrant:
Ridet & auscultans patria verba puer.
Stulta nimis virgo, non hoc Venus aurea naso est;
Si qua habitat terras, si qua recepta polo est.
Sed fuerit nostris nasutum Numen in oris;
Tam fœdam faciem nulla puella colet.
Hoc subjecta deûm pedibus Tibi sidera dicent;
Divinam faciem majus habere decus.

Ad Catharinam.

Sit Tibi nocte quies: sint dulces, Cathrula, somni:
Nec turbent animum somnia vana Tuum.
In strepitu muris, lapsu scobis, inq; latratu
Excitor: & toto corpore somnus abest.
Indignor minimè, sed grata silentia capto:
Plus quibus ætheriæ pectora lucis habent.

Ad eamdem.

Rocca mihi scripsit: missas lege, Cathrula, ceras.
Ausoniæ patrios rursus anhelat agros.
Sæpe mihi Venetos, Cretæq; probavit Oaxen.
Hæc quoq; rura petet, quæ genuêre Iovem.
Dilecti celebrat Musas bis quinq; Zamel I.
Et rides? Tecum tot putat esse meas.

De filio Gotofr.

Tres mea Versifices peregrini tecta petebant,
Visuri Vatem; quem sua Drusis amat.

Ipse ego non vidi: vidit puer, atq; amethystos
Splendenti naso dixit habere viros.
Pallia longa humeros, caput amplâ pileus orâ
Texerat, inflatas hispida barba genas.
Quem vellent, qualesve forent, stirps nostra rogabat.
Versifices, reddunt, cum patre velle loqui.
Tum puer: admitti non commoda corda negavit:
Ite viri; versus nam facit ipse pater.

De eodem.

FErvidiore die nemorum loca celsa petebam:
Et consors ibat cara, puerq; comes.
Parvulus ut vidit Solis matura sub æstu,
In tenerum misit fraga revulsa sinum.
Sudabat multùm. Si ritè vacaveris, inquam,
Parve puer; reddet plus Tibi docta quies.

Ad Cath.

POntificum cœnas & Regum prandia nescis;
Structorisq; probas fercula sola Tui.
Nec Te delectat plùs mensa potentis amici,
Cathrula, quàm nummo quæ venit herba Tuo.
Agnosco genii mores & gaudia nostri.
Sint aliis unctæ, dum mihi vivo, dapes.

Ad eamdem.

CAthrula, si nosses frugalis commoda vitæ;
Qualia non vulgus commoda sola putat;
Rideres nimium mercantis inania sumtum,
Et ventres saturos fœtidiore cibo.
Mensa licet simplex & Apitl nescia legum
Sit mihi; nil olidæ, Cathrula, sordis habet.

Ad

Ad eamdem.

VIr malus, eversor fidei, contemtor honesti,
Qualis civili cedit abitq; foro,
Cathrula, cùm tenui cinctum me vidit amictu;
Sumere cùm potuit, quò pudor, inquit, erat?
Audivi, & quâ, inquam, mittunt in veste pudorem,
Ad quorum pingi nomina Furca solet?

De filio Gotofredo.

VIderat ut duci puer ad suspendia furem,
Quæq; trium summa est, hac trabe obire diem;
Quid, rogat, è portâ dependet furcifer altâ?
Atq; illi perpes sub Iove somnus erit?
Sæpe fores, dixi, fregit sub nocte profundâ:
Hinc requiem in portâ sub Iove semper aget.

Ad Cath.

NVnc juga glandiferæ superamus, Cathrulr, silvæ:
Nunc streperas imæ vallis adimus aquas.
Respice res hominum venturaq; secula confer;
Fascibus & sceptris hic abit alter adit.
Recti est ingenii, vitream contemnere sortem;
Et solidis niti perpetuisq; bonis.

Ad eamdem.

COncludit raros venantis inertia pisces:
Cathrula, Tu noxam desidiamq; vides.
Negligitur magno jaculi ruptura patentis:
Confudit maculas parva lacuna duas.
Exiguo poterat lino, vel cannabe. Nostræ
Instrumenta domûs inspice, remq; puta.

Ad filium Gotofr.

I Puer, ut docto sudes in pulvere ludi.
Qualem Te volumus, culta Lycéa dabunt.
Nate, satis non est patris sub pollice fingi.
Gratulor ingenio tempora nostra Tuo.
Est vir amans patriæ, vestros qui respicit annos.
Hoc faciente docent, qui didicêre priùs.

Ad Cath.

QVicquid habes lini, quicquid mea Cathrula panni,
Munere seu nostro, sive parentis habes.
Nil Tibi donavit juvenum contentio dives.
Gemma Tibi nostra est, aut ea matris erat.
Hoc aliæ jactent, quid præstent oscula vobis.
Plus Tua simplicitas integritatis habet.

Ad eamdem.

COnsuluêre meis patriæ bona pectora Musis.
Quod decus inde meum est, hoc tribuêre Patres.
Otia fecerunt: quibus excoluisse licebat,
Naturæ viguit quod bonitate meæ.
Cathrula, nunc operas rerum sub pondere poscunt.
Quid faciam? gestæ laus quoq; magna Rei est.

De eâdem.

CArmina quid mereant, nuper Catharina rogabat.
Respondi, placidos hæc meruisse deos;
Non satis est, reddit, licèt horum sumtibus edas.
Subjeci: lentos sors habet æqua gradus.
Nec subitò nostri sedêre in culmine Vates,
Quorum nobilitat nomina factus eques.

Fortè

Fortè meum Vates carmen recitaverat alter
Axelio, quem nunc maxima Roma timet.
Ignoti primùm laudavit texta Poëtæ:
Integrius posthac ipse rogavit opus.
Inde meas totus vexit Septemtrio laudes.
Nescis, quid maneat vota datamq; fidem.
Iam veniet magnus jam talia dicet amicus:
Hæc Tibi sic Gothici constituêre dii.

Ad filium Gotofr.

N*Ate, mihi attendes patri non falsa monenti:*
Leucothöes primum devenerare jubar.
Apta leges, iterumq; leges, iterumq; revolves.
Certiùs hærebunt mane relecta novo.
Non Tibi nocturnas adimo pater improbus horas.
Cùm Sol occumbit, Te quoq; conde thoro.
Nec Tibi commendo fractum post prandia tempus.
Dum puer es, studiis sufficit hora Tuis.
Ludere permitto, sed lusum admitto decentem.
Nec Te cum quovis ludere, nate, volo.

Ad Cath.

E*T poteras aliam (sic me Catharina rogabat)*
Parte Tui ablatâ, quæ Tibi cara satis?
Cùm mihi non posset reddi carissima, dixi;
Illius optabam Te, Catharina, parem.
Dimidium sphæræ videor mihi, Cathrula: Tu pars
Altera: conjugii fœdere tota sumus.

Ad eamdem.

A*N qua sit in Magico vis improba carmine, quæris.*
Cathrula, nil artes hæ nocuêre bonis.

Thessala Lunares mentitur saga labores.
  Quò rhombi & pelves? vana ea cuncta vides.
Non nego carnifices cœlo parentis Averni.
  In Te nil juris torva Cytæis habet.

De filio Gotofr.

TOta domus mecum crustacea prandia cancros
  Ederat: his vesci Cathrula sæpe solet.
Naribus inducens testam stirps nostra rubentem,
  Ecce pater nasus sit mihi qualis, ait.
Tu cave, respondi, ne talem Cæcuba reddant:
  Et Tibi sit nasi liberioris amor.
Illo ne ducat Te vel suspenderit alter.
  Hunc faciunt vobis prima Lycéa dolum.
Fraus quoq; fit patribus: struiturq; hæc machina doctis.
  Sæpe puer visus discere dedidicit.

Thurio Pædagogo.

RElligione piâ nostrum genus imbue, Thuri.
  Instrue sinceris moribus, arte probâ.
Crede mihi, Thuri; Te spes educere nostras,
  Te civem patriæ condere, herumq; Lari.
Mille ruunt animæ solo torpore docentum:
  Mille ruunt aliæ, cùm mera doctor amat.

Eidem.

NOn quid Tu nôris, nec quàm sint æmula Crassis
  Ora Tibi, ex studiis scire laboro Tuis.
Facta fides, Thuri, est. Hanc pompam mitte theatri.
  Vt puerum doceas, quæ potes; hoc volumus.

De

De Cathar.

VIdit ut inversum cognomen Cathrula nostrum,
(Vulgarat scriptis quale Poeta malus)
Nataq; vepretis ac stridula carmina legit;
Et taceas, inquit, parq́; referre neges?
Par referam? dixi: cognomen turpe Poetæ est,
Converti in nomen mitius ipse velit.

Ad eamdem.

ODi ego ventosum, quem monstro, Cathrula civem.
De censu loquitur, divitiasq; crepat.
Inventus nemo, qui tam putet esse beatum.
Mentitur solitus nil mediocre loqui.

De Cathar.

IRe per Elbingum thalami cum compare flumen
Institeram: puro lumine Phœbus erat.
Quale fuit, Daphnen quoties spectabat amicam;
Quale, ubi Leucothöes ausus inire thorum.
Cymbula cùm nostris stabat religata canistris,
Quodq́; manus nuper sevit Ibera, mero.
Iussa dabam famulis intra penetrale relictis
Ultimus accelerans, quod meditabar, iter.
Protenus infestis ruit arduus imbribus æther,
Abstulit & totam nox inopina diem.
Ferre modesta quidem, sed mœsto lumine visa est
Cathrula; cuî dedimus qualia verba juvant.
In fine adjeci: pluvia est hæc utilis agris:
Non semper Soles noster agellus amat.
Disce, quid expediat. Faciles mihi deprecor auras,
Si nihil adversi nilq; furoris habent.

Vox

Vox sapientis erat: miserum se credere solum,
Quem numquam miserum viderit acta dies.

De eâdem.

CAthrula quærebat: si sunt in amore choregi,
Nosq; movent oculi, telaq; figit Amor;
Lumine cur vestri cassum finxêre Poetæ?
Esse, inquam, cæcum, vel satis inde patet.
Namq; duces sequitur bona sæpe incerta secutos:
Nec regit hoc telum, quod jaculatur, Amor.

Ad fil. Carolum Theodoricum

hoc ipso anno, IV. Id. Iulii h. II. pom. recèns natum.

SOle sub hoc primùm salve mihi, Carole fili:
Dicere quem frater sic Gotofridus amat.
Hoc Tibi sit nomen, juris sine fraude paterni.
Namq; mihi patri Tu Didericus eris.
Pars datur una mei Tibi nominis, altera fratri
Hæret. Ad arbitrium vivat uterq; meum.
Est & divinum vobis, mea pignora, nomen.
Quippe Did & Got sunt quod Deus atq; Θεός.
Servat eas rudium voces Germania patrum.
Vos sanctæ foveat simplicitatis amor.

Ad Cathar.

LActe Tuo natus, Catharina, fruatur alumnus:
Vulgatiq; jube corporis ire lupas.
Suppositi capris agni mutantur in hœdos.
Degenerat, succus quem meretricis alit.

In Marculum.

MArcule, si condit noster puerilia Vates.
Qualia sunt, quæ Tu deteriora facis?

Mantißa, quæ his lusib. anno M.DC.XL. accessit.

Ad Elisabetham à Platen cognatam, cùm matrimonium ipsi rite pacta esset anno M.DC.XXX.

SAnguis eras noster: pars nunc eris altera nostrî:
Vt foveâre meo, dulcis Elisa, thoro.
Ignores? cùm Te sublatam his geßimus ulnis,
Septima meßis abit. Pupa novennis eras.
Tunc conjux arrisit anus secura futuri:
Et, vir quàm velles, addidit, esse Tuam.
Nec prolem adjecit: patuit de prole locutam.
Atq; utinam, dixi, nostra puella foret.
Non ego crediderim per talia sacra futuram:
Nec Tu, conjugio me superesse Tuo.
Si Tibi non gravis est Sponsi maturior ætas;
Si Tua, quo cepit, stabit amore fides;
Inveniam, quo Tu traducas molliter ævum;
Et Tibi partem animi dulce sit esse mei.

Cùm auctumnalibus diebus iter faceret.

QVid querimur stolidi, quasi non mortalia curet,
Nolle loqui nobis aut dare signa Deum?
Per Vates responsa suos cùm multa dedisset,
Misit & ex ipso se genitore satum.
Imbribus & flammis loquitur Rex ætheris alti:
Quid velit hinc Euris indicat, inde Notis.
Quid restet? quo deinde modo cum pulvere vili,
Qui cæli & terræ res moderatur, agat?
Quid non à Superis herbâ moriente jubemur?
Qui flos non garrit, cùm tepuêre dies?

Ad liberos.

QVicquid erit, nati, quod vobis morte relinquam;
Sufficiet vobis, si probus usus erit.
Vnde salus tota est, animos defigite cœlo.
In nostris animis vult habitare Deus.
Hunc si concipitis, quodcunque negaverit Orbis,
Vanum erit: at solidum, quod dabit ille, Bonum.

Elbinga.
sive
IN GLEBA.

IN GLEBA Elbinga est. Hoc pinguia culta loqvuntur.
IN GLEBA nomen (quis putet?) urbis inest.

In Artemidorum.

OMnia mentitur, sed & omnibus Artemidorus
Annuit: & jurat sidera, sacra, deos.
Nec tamtùm facit hoc quoties vorat allia fabrûm.
Sed medium ad Ianum, sed facit ante deos.
Vester erit, quotquot per jurgia ducitis ævum.
Vtilis in Caussis Artemidorus homo est.

Famulæ migrantes.

MIgrant ancillæ: major mea transit ad Hircum,
Iunior ad Vulpem. Quamta minatur hiems!

De Marculo.

FActus erat locuples è parvo Marculus horto.
Protenus est pomis consitus omnis ager.
Septem ierant anni: nihil ingens reddidit hortus.
Nunc totum dominus vendit egenus agrum.

De Deliâ.

DElia cùm toto luxisset mense maritum;
Quò lacrumæ, dixit, quò furor ille meus?
Et juvenem ut vidit, qui formosissimus esset,
Inde mei dolor est, hinc medicina mali.

Sic ait, & vultu pellexit & omnia passa est,
Tristitiam ex animo quæ penitus ruerent.

In Cassenium.

SEmper, Casseni, Tecum Tua litigat uxor:
Quam tamtæ caussam litis habere negas.
At cùm Te sciret notum omni fornice, nupsit.
Arrêxti in lustris: non potes in thalamo.

De Nobili & Tribuno militari.

DIxerat armato generosus stirpe Tribuno:
Ede mihi, fuerint quæ patris arma Tui.
Miles ad hæc: non picta mihi sed vera reliquit
Arma pater: quibus huîc & mihi partus honor.
Hæc proavi si fortè Tui gessére, quid ad Te:
Qui jactare mihi non nisi picta potes?

In Hinnulam.

PVlcra fores, brevior Tibi si foret, Hinnula, nasus;
Strictius os, si frons lata, ruborq; genis.
Hæc Tibi sed desunt, ac toto livida vultu es.
Adde, quod & scabro es dente, nec ungue probo.
Vis formosa tamen, vis non ingrata videri.
Hinnula, fumum oculis vendere, difficile est.

In Postumum.

QVid mihi Romanum jactas Te, Postume, civem?
Pertinet ad titulos urbs nihil illa Tuos.
Vt taceam, quòd nil Latio Tibi frondet in agro,
Adspicit in totâ Sol nihil Vrbe Tuum.
Exuit Elbingam qui bis sex mensibus exest:
Tu bis sex messes Postume ab Vrbe Remi es.

De Septimianâ puellâ.

SI mustum Tibi sum, si mel sum dulce, quod inquis
(Dixit amatori Septimiana suo)

Respice

Respice me: detrita Tui sunt vincula mellis:
Nectaris ecce lacus testaq; rupta Tui est.
Ille suum nectar cùm nollet perdere melq;,
Accepit tunicas Septimiana novas.

De jure feudali.

Ponite de manibus feudalia jura, Poëtæ.
Quid vobis confert Allodialis ager?
Quid tetricæ voces, linguæ mera monstra Latinæ.
Quasq; vel Oscorum Tullius esse neget?
Audierit Labeo; Romanam dixerit Vrbem
Iam tum seu Rugios sive tenere Gothos.
Tota suo jaceat lex Longobardica cœno:
Vnus Marcelli plus mihi cento valet.
Barbariem discant, qui res odêre Latinas.
Quosq; juvat Getico promtiùs ore loqui.

In Crappium JCtum.

Cùm Iuliano attenderem & Pomponio
Intellegebam, quòd Latinè dicerent.
In Crappium post Iureconsultum incidi
Sed barbarum, sed qui videri acerrimus
Enucleator vellet hujus, illius,
Et plurium, qui jure de Quiritium
Responderant. Rogatis an profecerim?
Minimè: sed horam unam alteramq; perdidi.

De Parthenio.

Novit Parthenius totâ quid in urbe geratur:
Quot numeret Paulli filia clausa procos.
Novit & hoc; quid Cæsar agat, quid Cæsaris hostes
Confisi Daco milite sive Gotho.
Vnum est quod nescit, quod balnea nostra loquuntur.
Vxorem, cui non sufficit unus, habet.

Ruris Lenzani amœnitas carmine αὐτοσχεδίῳ celebrata anno virg. part. M. DC. XXXVIII. Id. Quinct.

à

Frid. Zamelio tunc temporis Judice terrestri, pagum hunc inter ſummam frugum ubertatem ingreſſo.

OMne nemus ſuperat Lenzani gloria ruris:
Quicquid poſt Danaos Auſonis ora probet.
Cumæos etenim referet Campania colles:
Iactabit valles Pindus & Oſſa ſuas.
Rupibus è notis heic incola proſpicit ingens
Æquor, & in lætis vallibus urget opus.
Sunt illis liquidi nec egentes piſcibus amnes:
Gobius extremæ corpora plebis alit.
Si platani deſunt ac laurus Apollinis arbor;
Eſt pecori, eſt ipſi quercus amica Iovi.
Sæpe mihi feſſo dedit ardua fraxinus umbram:
Aut ſomnum ſtreperæ conciliaſtis aquæ.
Et tamen evigilans Clarias quaſi raptus ad undas
Cantavi patrios auſa movere deos.
Humani generis canent alimenta per agros:
Qualibet à pomis villa pyrisq́ micat.
Iam ceraſis honor eſt: jam mitia fraga legantur:
Dum manus aſſiduas nulla moleſtet apes.
Implentur tepidi paſſim mulctralia lactis
Vbere ab armenti lanigeriq́ gregis.
Turdus ineſt ſilvis: ſunt & ſua pabula turdo.
Poſt meſſem hoc uncta eſt noſtra culina cibo.
Iſta ſatis: quamvis oculi ſi plura requirunt,
Luſtrandi ex alto ſi ſubit Orbis amor:
Hæc Tibi præſtiterit ſacræ mons proximus Ædi.
Quà Cori regio eſt, urbs Gedanéa patet.

Africus

Africus à lævâ Marianas exhibet arces:
Heliadum locus est ad Boreale latus.
Hoc quodcumq; vides velut uno luminis ictu;
Est, quo nil majus Lunaq; Solq; vident.
Ite mei Vates Latii genus atq; Pelasgi:
Sunt quibus ignotæ Drusidos urbis opes.
Non mihi sunt Tempe Bajanaq; littora tamti.
Maxima Lenzani gratia ruris erit.

Ad Gotofredum filium de Elephanto.

ARduus Eois Elephas delatus ab Indis
Primus in his terris ære videndus adest.
Venit & in nostram tectis de navibus urbem,
Spectatum pueri, fœmina, virq; ruunt.
Audaces manibus tractare proboscida longam
Mirantur docilem procubuisse feram.
Æquales sine fraude tuos in grandia dorsa
Sublimes pecudis ipse magister agit.
Vt spectes, i missus eò: natuq; minorem
Sollicitâ tecum duc Gotofrede manu.

De pupâ citharistriâ αὐτομάτῳ *ad eumdem.*

NIxa rotis, quales se trudunt arte magistrâ,
Increpat argutam cerea virgo lyram.
Sæpe genu flectens moti movet ardua vultûs
Lumina, & in pictis itq; reditq; togis.
Vise puer. Flexo cùm poplite fortè canentem
Vidit heri quidam, flexit & ipse genu.

Ad Catharinam conjugem,
cùm piscaturæ Præfecturam sortitus esset.

PEr juga per silvas invecta prioribus annis,
Injuncta Alpestris cùm mihi cura loci est,

Disce

Disce lacus humiles transmittere Cathrula mecum,
Sæpeq; piscosi littus adire maris.
Respondi Patribus, cùm me hæc tractare juberent:
Rupibus in medium præcipitamur Habum.

Ad eamdem

CAthrula si moriar, Tibi commoda prima relinquam.
Non Tibi quærendus munere Cæsar erit:
Vt Tibi jura trium natorum indulgeat. Adsunt.
Est Gotoliba Tuo, est Adelogunda sinu.
Et Theodoricus juxta Tibi Carolus hæret.
Sunt &, si modus est, queis foveantur opes.

Ad Thelgontem piscatorem.

IMprobe Piscator, Reges Tua munera quærunt.
Mitte sub astrictum retia panda mare.
Sit licet infirmo glacialis tergore pontus,
Vltimus hac glacie salmo trahendus erit.
Hunc Rex hunc poscit Regina puerpera piscem.
Te præsens Thelgon Numen habere puta.

Ad Reginam Floram Cognatam,

In Sponsaliis ejusdem cum Nob. & Stren. Ert. Turco, V. Trib militari.

JAm thalamis es pacta novi, Regina, mariti.
Quid dicam? Turcæ nubere Tune potes?
Quærebam ex ipso: Turcam se est ipse professus.
Hac pater est, inquit, gente domoq; meus.
Sunt Turcæ immites: in Te non leniter ibit.
Crede mihi, flores obteret ille Tuos.
Cùm semel admissus tepidos intraverit hortos,
Perfodiet totum vir truculentus agrum.
Pallentes animo curas subiisse putâram,
Cùm vidi in risu rem placuisse Tibi.

Ad

Ad eamdem.

Cùm Tibi sit facies; qualis, Regina, dearum est;
Quid tenui sumas à Phrygionis acu?
Flammea quid possint aut candens addere byssus?
Quod nux est, estis Tuq; paresq; Tui.
Sunt calyces vestræ sunt vana putamina vestes.
Amovet has fractâ ceu nuce noster eques.

In flagitiosum.

NE videant homines, inter penetralia peccas:
Et modò si fama est sartá, timore vacas.
Stulte, quibus latebris mentem, quæ conscia rerum est,
Exuis? aut sine Te, vel sine teste Deo es?
Nulla fides oculis illo est sub judice nostris,
Si tantùm hos testes integritatis habes.

Ad Catharinam Conjugem.

FLuminis Elbingi, mea sors, Drusiq; palustris,
Et Nogadi, & patuli sum moderator Habi.
Grandia monstra maris nostras mittuntur ad ædes:
Mittitur & labrax, gobio, bdella, salar.
Sæpe mihi pingues portat piscator alosas:
Sæpe amia, alburnus, carpio, perca venit.
Iam Zeiræ mustela datur, jam Surgidos almi
Corbibus in plenis cancer alumnus adest.
Tu cave, ne partem prædæ libaverit alter;
Hic nisi, qui patriæ curat amatq; Bonum.
Sunt qui manè novo, qui pronâ luce salutant.
Non amor hoc nostrî, præda sed ista facit.

De Reginâ cogn.

FRigore depulso jam mitior aura ruebat:
Et tamen in patriis nix erat alta jugis.

Egredia-

Egrediamur, ait Regina, nivesq́; per istas
Supremùm hoc anno stridula rheda volet.
Sedimus. Vt scuticam sumsit sibi frœnaq́;, dixi:
Non habet aurigam Iupiter ipse parem.

Ad Catharinam conjug.

Liquuntur Catharina nives, raramq́; ministrat
Vda tepefacto terra sinu violam.
Quid petis apricos mea per vestigia colles?
Esseda clausa subi. Sol Tibi vernus obest.
Semita cœnosa est, & inanis gleba fatiscit.
Da calathos: quamtum jusseris, ipse legam.

In Thasium.

Ipse sibi Thasius facit omnia. Fabricat ædes
Ipse sibi: vestes consuit ipse sibi.
Ipse sibi patinas è limo fingit & ollas.
Dum facit hoc, patrias ipse profundit opes.
Non facit hoc Thasius, quod deniq́; sufficit unum.
Quâ pereat, restim non facit ipse sibi.

Ad Margaretam cogn. in nemore.

Expectora simul inter hæc suspiria
Quodcumq́; cordolii est Tui, mea Margaris.
Quid Te domesticum indies urit malum,
Quod omnium est commune, quotquot ad penu
Maritus, uxor, liberi consedimus
Penatium unorum, maligna seculi
Conditio, pertinax furor servæ manûs,
Vicinus asper, aut amicus subdolus?
Æquâ ferendum est mente, quod lux auferet
Hodierna, crastina, aut quæ erit perendie.
Hiemem hoc nemus mœrebat integram. Viden?
Vt se recentem rursus in florem induat?

Et tu Tibi asserenda crede gaudia.
Fortuna rerumq; omnis universitas
Indigna, nostrum quæ fatigent spiritum.

De Catillo.

PEr placidum fontem, sed qui stagnaverat agro,
Fecerat hei noctu Mysta Catillus iter.
Alta palus hausit nequicquam tuta petentem.
Et tamen hoc factum, vix erat ulla fides.
Hebræos crepuit per singula Sabbata fontes.
Plebs ad vulgares isse negabat aquas.

Ad Carolum Theodor. fil.

CArole, non satis est patri auscultare monenti.
Et sua pulvereus commoda ludus habet.
Sume librum tabulasq; tuas, absterge lituras.
Munda toga, & solea est, osq; paresq; manus.
Quò ducam, schola nate propè est: dat amygdala, ficus,
Dum frugi generis pensa magister obit.

Ad Cathar. conjug.

QVòd Catharina mihi mutato sæpe Charillis
Nomine seu Cathara es, seu [illegible] ipsa Charis;
Non inopes nostri versûs fecêre lacunæ.
De Te qui fingit plurima, fecit amor.
Et Catharillidi erat dandum & Charitillidi nomen.
Sed breve sit, dixi, quod Tibi sæpe damus.

Ad Cordulam cogn. inter nemora.

VIderis: at vidisse lupum Te Cordula clamas.
Quid metuas? comitum bis Tibi quartus adest.
Exiguum nemus est: quod cùm superavero Tecum,
Piscinæ lentas funda subibit aquas.

Dentatos

Dentatos mea turba lupos monstrabit ab undis:
Inq; Tuas veniet copia grata manus.

Ad Catharinam conjug.

NEscio quid vernæ, mea lux, jucundius auræ,
Quàm Sol decedens canaq; messis, habent.
Tunc se purpureis ostentet Liber in uvis:
Sub Cereris regnum frugifer annus eat.
Sola mihi pecudis Phryxéæ sidera rident,
Et quæ Cretæum promovet hora bovem.
Hoc totum est animi: sunt corporis illa fovendi
Tempora, quæ subeunt: qualia segnis ago.
Salve veris honos, salvete exordia mundi.
Patribus hos priscis credimus isse dies.
Erremus, mea lux: plus desipuère mariti,
Quos tamquam verni temporis ussit amor:
Iam rerum saturos jam pulcrâ prole beatos
Tam læti auctumni nulla cupido movet.

De Gotofredo filio.

LIlia vicinum pingentia viderat hortum
Maximus in natis primaq; cura meis.
Laudavit florem: sed tactus odore roseti,
Et formosa rosa est, & bene, dixit, olet.
Huîc ego: bis sextum vegetus pùer exigis annum,
Vt gratùm spires, mens bene culta dabit.

Ad Carolum Theodor. fil.

SI dederis aurem primùm mihi, deinde magistro;
Veneris è ludo doctior usq; domum;

 Missio

Missio cùm fuerit vestri seu mense Decembri,
Seu tunc cùm lætæ tempora messis erunt:
Iam glacie astricto mecum spatiaberis alto
Asserturus Habi, nate, patentis opes:
Iam gracilem in tremulis remum lentabimus undis.
Tunc quoq; piscantum pars quotacunq; gregis.
Sqammigerum nosces inter sua nomina cœtum.
Heic capito, heic myrus, trocta, silurus erit.
Mittemus tincas & vulgus inane rubellas:
Nos lupus aut pinguis, Carole, pascet esox.

De Druso lacu.

TEndite, dixi operis, sub inerti retia Druso:
Duret & hic vobis nocte dieq; labor.
Sed mihi nocte lacus præcinctus arundine densâ
Adstitit in somnis: verba querentis erant:
In campos abeo, cannâq; obducor & ulvâ.
Quid me sollicitas? quid dabit ægra palus?

Ad Gotofredum Hegenitium Gorl. J.V.L.

HOc amor, Hegniti, est: quo se omnis sustinet Orbis.
Hic columen regnis præsidiumq; dedit.
Felices populi: quibus est in amore voluptas!
Quos inter caussas non habet ira suas!
Inde est, quòd luimus, nobisq; elementa repugnant,
Sincerè quòd vix unus & alter amat.
Mitte alias gentes: patrium modò respice fundum.
Marti honor est: aram non habet unus Amor.
Tam placidum quocumq; deum sub sidere quæras,
Huc ades: & nostro sub Lare regnat: ama.

De Puellis.

VErba juvant aliquid, plùs flectunt dona puellas.
Quisquis cum verbis dona dat, ille litat.

Ad Catharinam conjug.

EXime nocturnos pueris, Catharina, pavores:
Ne se in conspectum capnio teter agat.
Nec Lemures narret famulæ stultißima turbæ
Barbara se nullâ nocte datura foras,
Nec cellæ subitura gradûs, nec sola cubile.
Sed procul à tectis serva sit ista meis.

Ad liberos.

EFfuge quod fœdum est, mea gens, olidasq; tabernas.
Turpe mero noctem frangere, turpe diem.
Dulce jubar Solis studiis melioribus aptum est.
A modicâ cœnâ sit moderata quies.
Portio si qua dii curis se segnibus aufert,
Quam Phœbus nitidis exerit actus equis:
Exigite in silvis, in læti margine rivi.
Hoc succo & Bachi parte levate sitim.
Solis fraxineis dignè requiescite in umbris:
Obviaq; ætherii multa datoris erunt.

In Hattonem versificem.

HAtto fugit silvas, nemorumq; encomia ridet.
Pone focum infelix ipse Poëta sedet.

De Fanniâ.

FAnnia de medicâ postquam dubitaverat herbâ,
Sæpe cor & geminum Fannia puncta latus:
Hoc siler huic morbo est, dixit myropola Philippus,
Pyxide ab hac genitor sumsit avusq; meus.
Fannia damnavit fatuas, ubi viderat, herbas.
Pane suo vixit, quem dabat horna Ceres.

Ad liberos.

Sunt

SVnt qui Phidiacum statuunt in limine marmor,
Queis decorum in raro Zeuxide summa sita est.
Vascula de torno qui præripuêre Myronis:
E quibus, argentum si posuêre, bibant.
Exosi talem, suboles dilecta, furorem
Fugimus in Cynico nomen habere grege.
Cælavit nostros fabri rudis ascia postes.
Marmoris his speciem pictor agyrta dedit.
Pleraq; de patrio veniunt mihi pocula limo.
Atqui illime merum est, quod mea turba bibis.

Ad Cathar conjug.

CAthrula, vendidimus, nostras quod perdidit horas.
Quod mihi tot messes abstulit, hortus erat.
Quod curem, est aliud: nihil hoc de fure laboro,
Temporis & rerum parcus amore Tui.
Crede mihi, prodesse Tuis, mea Cathrula, natis.
Audisti, quamtas ille vorârit opes.
Sæpe mihi ingentem spem turbavêre procellæ:
Sæpe imbris nocuit copia, sæpe calor.
Vise alios hortos: alieni hoc carpe laboris.
Inde quod exigimus, venditur ære levi.

Ad liberos.

CArmine saga potens terris immittere ventos,
Sternere & occulto pulvere docta pecus,
Vrereq; absenteis Meleagri in stipite, cumq;
Transtulerat sortes, amplius ausa nefas,
Ducitur. Hoc merita est, pueri, sex Orbis & Orci,
Impos ut admisso fiat ab igne cinis.

Ad Catharinam conjug.

CAthrula, quodcumq; est herbarum valle reductâ,
Quodcumq; in summis ventilat aura jugis,

Corrigit

Corrigit humanos flammæ moderamen in usus,
Cùm superest herbâ de moriente liquor.
Maxima pollicitis nimium ne crede Chemistis.
Stillabit melior succus ab igne Tuo.

Ad Anton. Brussenium.

VIcisse Herculei lætor Te monstra laboris,
Brusseni, durat quem duodenus agon.
At non insanâ luctâ, sed dura ferendo.
Par mihi cùm fueris, par quoq; meta mali est.
Alcides odio fuit hostibus: est minus illud.
Me meus, hoc plus est, Te Tuus hostis amat.

De liberis.

PRoli obsecutus publicas ductaveram
In nundinas mimimum gregis cum maximo:
Quùm pulcra mercium vident, amant, rogant
Submissè, apertè in lacrumarum guttulis,
Vix hujus illiusq; facti compotes.
Ad circulatorem dein Potassium
Processimus, quà grande pegma struxerat
Rem commodùm facturus & facetias.
Plausêre perditâ omnium cupidine
His porrò capti ludionum ineptiis.
Iam servulis narrant, quid auscultaverint.
Quod sistat in pueris leveis motus, leve est.

Ad eosdem.

QVid tenues betæ præstent, quid brassica prosit,
Quid juvet ex ipso nata labore quies;
Ante Quirinales monstravit Græcia fasces.
Res patet è vitâ, commoda si qua fuit.
Pharmaca cum Medicis ignorat turba fabrorum.
Hoc labor, ô mea gens, & rude præstat olus.

Ad Catharinam conjug.

ULtima Tu regnes per nostros, Cara, Penates,
Per mea nempe viri vota superstes eris.
Instilla generi nostro Tibi cognita dudum,
Virtutemq; jube dotis habere loco.
Non opus Oenomai subversor Myrtilus illis,
Non magico nexus carmine nodus erit.
A Superis in nos manantia commoda solis
Gentis ab humanæ qui petit hoste, perit.
Acquirent thalamos: nec pulcris gloria cœptis,
Aut rerum cumulus deérit ab arte probâ.

Ad eamdem.

ATtinet ad mores, pars est non infima cultûs,
Cùm pes sorde caret, cùm sine sorde toga est.
At crinem fronti submittere, Cathrula, turpe est.
Quicquid Gallecus, Picto, Ligurq; probent.
Frons pueris sit aperta meis. Dic sæpe monendo,
Quàm deceant rectos ora retecta viros.

Ad eamdem.

SCripsit Amor, Catharina, mihi: legiq; tabellas
Hyberno gelidis sub Iove vectus aquis.
Nosse meos pariterq; Tuos desiderat æstus.
Ah nescit hiemes improbus ille puer!
Rescripsi: me certa satis responsa daturum
Tempore quo cœlum vernat & omne nemus.

Ad Lectorem.

PIeridum studiis sum maxima, Lector, adeptus:
Et mihi ver lætum nulla fugavit hiems.

(o)